Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorvm Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Georgius Hermonymus Spartanus, Io. Phorcensi beneagere [...]

urn:nbn:de:bsz:31-270838

Visual Library

πιγράφα δοῦναι, εἰμὴ ὁ τῶν παρόντων διακομιστὴς πρὸς σὲ ἀφικέσθαι ἐσπεύδεν, ἔρρωσο.

Latine ſic.

Georgius Hermonymus Spartanus, Io. Phorcenſi beneagere.

EGo quidem & alias admiratus ſum tuū & ſtudium & ingenium quod circa Græcorum libros habes, at nunc maxime, recipiens abs te miſſas ad me literas nō paucæ elegantiæ atq; gratiæ plenas. Propter quod & gratias maximas agnoſco tibi beneuolentiæ cauſa, quam mihi commonſtras per tuas literas. Futurus erā autem tibi in amplum græce reſcripta dare, niſi præſentium lator ad te ire feſtinaſſet. Vale.

Adæ Vuernheri Temarenſis Tetraſtichon.

Cum tua iam totum fumaſcat fama per orbem
Quam facile audito nomine notus eris
Vix una in cœna nos ſors coniunxit amicos
Et iam diſtrahimur. Fumule uiue uale.

VNiuerſis præſentes literas inſpecturis & audituris Petrus Vaſſalli in legibus licentiatus, canonicus eccleſiæ ſecularis & collegiatæ beatiſſimi Hilarii maioris Pictauis ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis. Vicarius atq; commiſſarius uenerabilis & circumſpecti uiri domini Thomæ de Landaz theſaurariiq; eccleſiæ beatiſſimi Hilarii maioris Patauis prædictæ, ac ratione dictæ theſaurariæ Cancellarii almæ matris uniuerſitatis uenerabilis & fructiferi ſtudii generalis Pict. ab eodem præfato dn̄o Cancellario ſolus & in ſolidum ad infra ſcripta ſpecialiter deputatus Salutem in eo qui eſt oīm ſcientiarum caput & autor atq; mirificus diſpenſator. Dignum nanq; & rationi conſonum exiſtit, ꝙ iuriſperiti qui uitam ſuam laudabilem oſtenderunt, & docendi peritiam & interpretandi ſubtilitatem patefecerūt, quibus morum grauitas, laborum aſſiduitas & ſtipendiorum prolixitas ſuffragent, prout & ueteribus placuit laudabiliter decorent, ad gradum aſcendere permittant celſiorem. Cum itaq; uenerabilis & ſcientificus uir magiſter Iohannes Reuchlin Phorcenſis diœceſis Spirenſis, in legibus baccalaurius, de cuius facundia eloquio ue & doctrina, diſcretaq; morum honeſtate fama funditus diuulgata conſiſtit, de quo etiam tam in collationibus quæſtionum reſponſionibus q̄ argumentorum diſſolutionibus laudabile teſtimoniū perhibetur, in præfata alma uniuer-